This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HARVARD LAW LIBRARY
3 2044 097 773 204

Ripert

Composition De Droit Romain

HARVARD
LAW
LIBRARY

Digitized by Google

Rd. Nov. 1934

HARVARD LAW LIBRARY

Received June 27. 1921

Digitized by Google

France

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCOURS D'AGRÉGATION POUR LES FACULTÉS DE DROIT

1876

COMPOSITION DE DROIT ROMAIN

Faite en sept heures

PAR

ÉMILE RIPERT

LAURÉAT DE LA FACULTÉ DE DROIT D'AIX (1re MÉDAILLE DE DOCTORAT)
CHARGÉ DE COURS A LA FACULTÉ DE RENNES.

PARIS
IMPRIMERIE VIÉVILLE ET CAPIOMONT
6, RUE DES POITEVINS, 6

1876

Digitized by Google

FOR TX
R5884c

JAN 27 1921

Digitized by Google

Quomodo intelligenda sit causa, quæ sit causæ necessitas in diversis transferendi dominii modis et in usucapione?

Hoc verbum *causa* diversos sensus accipere potest. Sive in obligationibus, sive in diversis transferendi dominii modis, sæpissime illo utuntur juris Romani interpretes, sed fere nunquam definitione adjecta, quæ quod sit causa vel necessitas illius facile explicare permittat.

Itaque diversi hujus verbi sensus mihi vicissim definiendi videntur.

Aliquando causa, præsertim gallico sermone, dicitur hæc ratio quæ nos ad dandum vel promittendum movet, ut si, exempli gratia, cum peregre proficisceris, servum vendideris et postea mancipaveris vel in jure cesseris.

Aliquando etiam, cum de obligationibus agitur, causa est ratio quæ directe promissionem parit, quæ omnes eumdem contractum ineuntes movisset. Hoc sensu, cum vendideris servum, pretii promissio causa videtur, qua suadente servum licere habere promittis.

Quibusdam etiam casibus causa dicitur a nostris præceptoribus

Digitized by Google

datio, vel verba, vel litteræ, quæ contractum pariunt; quibus deficientibus nulla ex pactione oritur actio.

His modis autem non intelligenda est causa quum de transferendo dominio agitur. Causa dicitur conventio quædam, quæ alterius transferendi dominii, alterius accipiendi voluntatem continet; quam sequitur, ut effectus, rei mancipatio vel in jure cessio, vel etiam traditio; vel aliquando negotium juris, qui tantum accipiendi dominii voluntatem continet. Sic, ut exemplum afferam, cum ex venditione rem tradideris, emptio venditio translati dominii merito causa est.

Ab illa causa sic definita multum differt solemnitas, quæ sæpissime facit ut transferatur dominium. In mancipatione enim dominium non transfertur, nisi certis adhibitis solemnibus verbis, cum non nudis pactis jure Romano dominia transferantur. Et ea propter, verba mancipationis dici possunt causa civilis, quæ dominii translationem faciunt. Sed hoc sensu gallico sermone tantum usitatum est verbum causa, et itaque causam nihil aliud intelligemus, nisi hanc pactionem qua alter dominium transferre, alter dominium accipere vult. Inter hos causæ sensus hæc est pene differentia, quæ ejusdem verbi duas ultimas significationes in obligationibus, ut supra retulimus, separat.

Et inde sequitur, ut omnes pactiones, etiamsi a jure civili confirmatæ, non merito justæ causæ transferendi dominii videantur. Sane emptio venditio est causa transferendi dominii, cum emptor dominium acquirere desiderat; item donatio, sive ante, sive post Justiniani tempora, etiamsi errore lapsus imperator donationem genus acquisitionis definierit (*pr. Inst. de Donat.*). Sed commodatum vel depositum minime causæ nomine comprehendi potest, cum is qui commodat vel deponit alterum nec dominum nec possessorem fieri volet, sed tantummodo ei nudam detentionem transferre desideret.

Digitized by Google

Quæ cum ita sint, parum vix est ut referamus diversas transferendi dominii causas, quæ a Digestorum libris XLI, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, nobis explicantur; satis est de quibusdam tractare, quæ frequentissimas disputationes suscitaverunt.

Vetus dubitatio fuit utrum jusjurandum causa transferendi dominii sit an non. Cum fundum possideres, vindicatione expertus a Primo, deferente petitore, rem tuam esse juravisti. Eritne transferendi dominii causa, ita ut biennio dominus, usucapionis auxilio, fies? Quidam auctores sic censuerunt. Jusjurandum speciem transactionis continet (L. 2 *de Jurej.*) et cum transactio justa sit causa transferendi dominii, quid est cur causæ nomine non comprehendatur jusjurandum? Huic rationi affert auxilium L. 7, § 7, *de Pub. in rem act.* Hac lege Ulpianus refert competere Publicianam actionem cui jusjurandum delatum fuerit rem suam esse, et cum Publiciana competit ei qui usucapionis tempora inierit, jusjurandum justam causam usucapionis eo ipso affirmat.

Sed ego hoc falsum puto. Qui jusjurandum defert, adversario transferendi dominii voluntatem non habet, cum bona fide jusjurandum præstandum putet. Itaque non recte dicitur jusjurandum transferendi dominii causa. Ulpianus huic sententiæ minime adversarius mihi videtur, cum publicianam actionem non adversus omnes competere dixit, sed adversus eum duntaxat qui jusjurandum detulit. Hæc autem Publiciana actio non est proprie Publiciana, sed actio de jurejurando huic casui accomodata. Quod autem probabilius fit, si leg 11, § 1, *de Jurej.* inspexeris, quæ non Publicianam, sed actionem in factum dandam affirmat.

Eadem dubitatio quæ de jurejurando, etiam de re judicata sæpe fuit, sed tempus deest ut eam attentissime inquiramus.

Quæ cum sit causa, necesse est requirere quæ sit causæ necessitas in diversis transferendi dominii modis.

Hic autem vicissim de diversis dominii modis a jure civili com-

Digitized by Google

probatis, deinceps a jure gentium, mox de usucapione tractandum mihi videtur.

1° *De diversis transferendi dominii modis a jure civili comprobatis.* — In mancipatione vel in jure cessione minime utilis causa est. Dominium transfertur, non existente causa sed solemnibus tantum verbis. Itaque si defecerit causa, nihilominus dominus ex jure Quiritium efficitur accipiens. Utputa tibi fundum mancipavi locati conducti causa; in illa specie, etiamsi non transferendi dominii animum haberem, dominus fis, et tempore statuto præterito, nihil aliud quam actionem habeo, ut fundum mihi mancipetur. Et nobis refertur hæc fuisse olim conditio pignoris, cum res pignerata fiduciæ causa creditori manciparetur. Creditor accipere, debitor amittere dominium minime volebat, et tamen dominus fiebat creditor, ita ut, etiam pecunia soluta, et servitutes et usufructus ab eo constitutæ firmarentur. Et hæc fuit origo hujus usucapionis, quæ usureceptionis nomine continetur, et etiam malæ fidei possessori competit, si modo antiquus dominus neque rem conduxerit a creditore, neque precario rogaverit. (G. II, § 60).

Et hæc ita erant, non solum cum deficeret transferendi dominii causa, sed etiam cum adjiceretur quoddam pactum, quo accipiens dominium retro cedere promittebat. Ita, si mortis causa res donata est, sic ut jam nunc haberet is cui donatum est, redderet autem si convaluisset donator, vel de prælio vel peregre rediisset, et res ex causa donationis mancipata vel in jure cessa, et deinde si convaluit qui donavit, dominium nihilominus manet apud quem donatum est (*Fr. Vat.*, § 283). Huic autem nimio veteris juris rigori moderamen allatum fuisse admonendi sumus ab Ulpiano, qui donatori actionem in rem videlicet utilem adhibuit. (L. 29, *de Mortis causa don.*). Et hujus jurisconsulti sententia a divis Diocle-

Digitized by Google

tiano et Maximiano imperatoribus comprobata est. (L. 2, *C. de Don. quæ sub modo*).

2° *De diversis dominii transferendi modis a jure civili comprobatis tractavimus, nunc de modis a jure gentium comprobatis dispiciendum.*

Illic diversissima est regula, quæ necessitatem causæ metitur. Ut dominium transferat traditio justa causa opus est; itaque cum traditio fit, inspicienda est causa qua impulsus est tradens. Si possessionem tantummodo tradere voluit, tantummodo possessor efficitur accipiens, ut in pignore apparet; si nudam possessionem transferre cupivit, tantummodo nudus detentor fit accipiens, exempli gratia, si depositi vel commodati causa rem tradiderit dominus. Ut dominium acquirat accipiens, ex justa causa tradenda res est, ut significat hoc verbum Ulpiani (Tit. XIX, § 8, *Reg.*) « Harum « rerum (*nec mancipi*) dominia ipsa traditione adprehendimus, « scilicet si ex justa causa traditæ sunt nobis. »

Quin imo tanta est in traditionibus causæ verecundia, ut interdum tantum ficta traditione, nuda voluntas sufficit ad rem transferendam « veluti si rem quam tibi aliquis commodavit, aut loca- « vit, aut apud te deposuit, vendiderit tibi aut donaverit ». (*Inst., de Div. rerum*, § 4). Causæ hæc est vis, ut etiamsi ex ea res vere tradita non sit, attamen accipienti adquiritur dominium, perinde ac si res tradita fuisset. (L. 1, § 1, L. 2, *pro Socio.*)

Et ex his sequitur ut si in justa causa non congruit voluntas accipientis et tradentis, dominium minime transfertur; quod fit, cum procuratori meo rem tradideris ut meam faceres, is hac mente acceperit ut suam faceret. (L. 37, § 1, *D. de Adq. rer. dom.*)

Huic autem regulæ quædam affertur exceptio a Justiniano (§ 41, *Inst., de Div. rerum*). Cum res vendita traditur, non aliter emptori adquiritur, quam si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit, veluti expromissore aut pignore dato. Quæ

Digitized by Google

autem exceptio regulæ haud multum absimilis mihi videtur, quam præsumantur accipiens et tradens dominii translationem differri voluisse. Et huic sententiæ argumentum est, quod refertur a Justiniano (eodem), ut si qui vendidit fidem emptoris secutus est, dicendum esse statim rem emptoris fieri.

3° *Causæ necessitate in alii transferendi dominii modis demonstrata, reliquum est ut de usucapione dispiciamus.*

Illic etiamsi usucapio a jure civili comprobetur, necesse est ut possessor ex justa causa possideat. (*Inst.*, § 10 *de Usucapionibus.*) Quod nobis significatur a Justiniano, cum sic usucapionem definit. « Jure civili constitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo qui dominus non erat, cum crediderit eum dominum, esse rem emerit vel ex donatione *aliave quavis justa causa* acceperit, is eam rem... usucapiat. » (*Inst., pr. de usucapionibus.*)

Quæ cum sit autem regula nunc inspiciendum si exceptionem non patietur. Cum non emeris, exempli gratia, emisse te existimans, rem si mobilis est anno, si immobilis biennio, possedisti Num, tempore elapso, dominus fies usucapione?

Justinianus refert (§ 11, *Inst., de Usuc.*) errorem falsæ causæ usucapionem non parere, et te dominum proposita specie fieri vetat. Sed huic sententiæ obstare videtur, quod nobis ab Hermogeniano dicitur. (L. 9, *D. pro Legato.*) Legatum ademptum esse putans, pro legato usucapi posse affirmat. Hæ autem duæ opiniones, nisi verbis, inter se non pugnant. Dicendum est jure communi falsam causam usucapionem non parere ut Justinianus ait. Aliter autem fit, juris quadam benignitate, si probabilis error fuit possidentis. (L. 4, § 1, *pro Suo.*)

Quibus nunc casibus probabilis error dicetur? Hoc nobis significatur a Neratio (L. 5, § 1. D. *pro Suo*) et Paulo (L. 2, § 15. D. *pro Emptore*), et quibusdam aliis (L. 13, § 2, *de Pub. act.*)

Digitized by Google

Si juris errore lapsus sis, usucapio cessat, nam juris error nulli prodest.

Si facti errore deceptus sis, usucapio currit, dummodo nimiam negligentiam non demonstret. Quod præsertim fiet, cum alieni facti sit ignorantia. Sic servum tuum jussisti quamdam rem emere; si non emerit, utilem ad usucapionem possessionem habebis, etiamsi emisse id falso existimes.

Huic autem quœstioni proxima subest, quœ aliquando de donationibus inter virum et uxorem disputatur. Si ante orationem Severi, maritus uxori, vel marito uxor, donationem fecerit, num ex causa donationis, cui donatum sit, competet usucapio ?

Terentius clemens, etsi nulla sit donatio, confestim ad usucapionem uxorem vel maritum admitti respondit. (L. 25, *de Donat. inter virum et uxorem*).

Sed ab illo multum distare videtur Paulus qui (L. 1, § 2, *pro Donato*) affirmat, si inter virum et uxorem facta sit donatio, usucapionem cessare.

Distinguendum autem mihi videtur in hac quæstione utrum donatio rei alienæ facta sit, ut apparet L. 25 prædicta, an rei quod donator in bonis tantum haberet. Si rei alienæ donatio facta sit, tunc donatum esse non videtur, cum donatio sit ea quæ locupletiorem alterum, alterum pauperiorem in suis rebus facit, et igitur non injusta causa est (L. 3, D. *pro Donato*). Si autem rem dedit donator quam in bonis haberet, tunc donatio est, donatio nulla, quæ injustam causam continet. Et huic sententiæ congruens est quod a Paulo dicitur qui putans venditorem jussu meo eam rem uxori meæ donationis causa dedisse, quam vendiderit mihi, uxorem meam jure civili possessionem habere negat (L. 26, *de Don. inter vir. et ux*).

Quum sit necesse, ut ex his quæ retulimus apparet, causam esse

Digitized by Google

usucapionis, admonendi sumus nonnullas differentias existere inter diversas usucapionis causas.

Imprimis, usucapione impleta, interest multum, utrum, ut exemplum afferam, ex emptionis an donationis causa usuceperis, nam justam causam confirmat usucapio.

Item interdum justa causa cæteras usucapionis conditiones mutat. . . . . .

. . . . . .

Paris. — Imp. Viéville et Capiomont, rue des Poitevins, 6.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google